

justum coram me ex omnibus gentibus.
r. Iste est, qui contempsit vitam mundi,
& pervenit ad cœlestia regna. * Quia.
Gloria Patri. * Quia.

In III. Noct. Homil. S. Hieron. Presbyt.
in Evang. Ecce nos reliquimus omnia,
pro Abbatibus.

Vesp. à Capitulo de SS. Martyr. Joanne
& Paulo.

DIE XVII. JULII.

In Festo S. ALEXII Conf.—Semid.

Oratio sequens ex Breviario Romano
Lugdini edito ann. 1758 excerpta, potest
recitari convenientius quàm ea quæ vulgò
desumitur ex Communi.

ORATIO.

DEUS, qui beatum Alexium Confesso-
rem tuum in mundi contemptu mi-
rabilem effecisti; præsta, quæsumus, ut
intercessionis ejus auxilio fideles tui ter-
rena despiciant & ad cœlestia semper
aspirent. Per Dominum.

DIE XV. AUGUSTI.

Officium Assumptionis B. M. V. fit ut
in Breviario & Missa celebratur ut in
Missali, sub ritu I. Classis cum Octavâ.
At si ista xv. dies Augusti non sit Domi-
nica, tunc ex Indulto diei 13 Martii 1819,
etsi in Dominicâ infrâ Octavam recitetur
Officium S. Joachim vel diei Octavæ S.
Laurentii, Missæque privatae cum alter-
utro Officio concordent, tamen in quâlibet
ecclesiâ, Missa sollemnis seu principalis
dicitur de Assumptione B. M. V. cum
Commemor. tum Officii illius diei, tum
Dominicæ currentis cum Evangelio
ejusdem Domin. in fine Missæ. Similiter

Vesperæ solennes in Choro dicuntur de
eodem Festo Assumptionis, cum iisdem
Commemorationibus.

DIE XXV. AUGUSTI.

In Festo S. Ludovici, lectiones I. Noc-
turni dicuntur de libro Ecclesiastici, Bea-
tus vir, &c. ut in Communi Conf. non
Pontif. Secundo loco,

MENSE OCTOBRI.

In Festo B. V. M. de Victoriâ, de quo
in Calendario superscripto mentio habita
est, Officium & Missa eadem sunt, ac in
Festo S. S. Nominis B. V. M. Exceptis
quæ sequuntur. In Antiphonâ ad Magni-
ficat, I. Vesperarum ac in VII. Responsorio
Matutini, dicitur tuam sanctam Festivi-
tatem. In oratione omittitur Nomine &.
Lectiones II. Noct. sumuntur de die Octa-
vâ Nativitatis B. V. M. Hilarem video &c.
Lectiones III. Noct. de Officio S. Rosarii.
Comm. Domin. occurr. in utrisque Vesp.
& Laudibus, de quâ dicitur etiam IX lec-
tio. Ad Missam, Evang. Loquente Jesu.

MENSE NOVEMBRI.

Etsi de S. S. Patronis sive Titularibus
ecclesiarum parochialium fiat Officium
sub Ritu Dupl. I. Classis cum Octavâ,
prout respectivè in anno occurrunt, de iis
tamen, juxta Edictum Episcopale diei 22
Decembris 1810, exceptis quatuor in dicto
Edicto memoratis, nulla fit solemnitas in
populo nisi Dominicâ primâ post Festum
Omnium Sanctorum. Eâ porro Dominicâ,
in omnibus Ecclesiis Parochialibus, in
Indulto Apostolico mensis Februarii 1810,
Missa sollemnis cantatur de S. Patrono
seu Titulari ecclesiæ cum Commemora-